354

467

VIR

Excellentissime atque amplissime,

Fautor multum honorande.

Litterae TVAE ad me perlatae sunt, ex quibus singularem coepi voluptatem. quae scribis de censura ephemeridum, ea ab ingenio et animo, qui placidus est et sectatur modestiam, non aliena sunt. optime facies, si ipse publice profitearis, TE plane nihil ad opus hoc conferre, praecipue quum adhuc multi in ea versentur opinione, plurima ab ingenio TVO proficisci. notitiam de auctoribus ephemeridum conscripsit Marcus Paulus Hahold, qui colit sacras litteras et nuper disputationem praeside Wendlero, defendit. quod si disputationes b. Molleri vidua eiusdem ad me transmitteret, darem operam, ut sumtu bibliopolae cuiusdam publici usus fierent: iam multis nominibus optavi, ut hae dissertationes in summam redactae prodirent. cuius auctoris sit historia de modo docendi Olympiae Fulviae Moratae sit, in praesens definire nequeo. exemplum illud elaboravit generosus de Bunau, qui nunc Dresdae agit. ipse occupatus sum in recensendis Olympiae Fulviae operibus, quibus vitam illius praemittere mihi est in animo. multa notatu digna

An Prof. Feuerlein

iam collegi, nec dubito, quin possit ac-
curatam historiam illius sibi deprehendere.
Ephemeridibus dem Bücher-Saal vale dixi,
et studium meum iam parti XXXV tento-
nicorum actorum eruditorum conferre coepi.
dissertatio tua de philosophia Adami
mihi magnae fuit delectationi, pro qua
persolvo gratias maximas et ad te
orationem Facciolati transmitto.
compendium tuum artis criticae non-
dum prodiisse credo. Clericus, Hermannus
et P. H. a S. Maria multa et iis, V. Cl. ad-
iecerunt. Hermannus philologiam stricte
dictam et criticam confundit, ut his
superiore anno dissertatione de literis
humanioribus observavi. Mihi
facies gratissimum, si imagines
professorum vestrorum, inprimis
Tuam ad me transmittas, quas actis
nostris eruditis eleganter incisas
proficiendas curabo. Vale et
fave

Celeberrimi nominis Tui

Lipsiae d. VIII. Mai.
MDCCXV in aedibus
I. B. Menckenii.

Studiosissimo
M. Walchio.

P. S.
Salutem dic plurimam Cl.
prof. Schwartzio et Baiero

Viro

Excellentissimo et amplissimo

IACOBO WILHELMO FEVERLINO

in academia Altdorfina logices

et philosophiae primae Professori

celeberrimo

Altorf.

355 V